

/ Cum audissem novo breviario excudendo operam dari, curamque
 eam tibi (quae tua est sapientia) Cardinalis amplissime, demanda-
 tam fuisse, ausus sum, has ad te lucubrationes mittere, ad quas,
 dum animarum ministerio vaco, aliquid temporis suffuratus sum,
 5 SS^{mae} quidem studio stimulatus. Dolebam enim, ornatissime praesul,
 et vehementer angebar, quod SS^{mae} Virginis officia omnino plena
 non essent, nativitatis eiusdem officium aliis eiusdem Deiparae
 diebus festis accommodari; multa natutinarum horarum responsoria
 vacua videri, utpote in quibus eaedem sententiae repeterentur, om-
 10 nes etiam antiphonas ad matutinas horas in omnibus Virginis beatissimae officiis easdem esse; quasi vero materia desit, ut nova
 diversis eiusdem Deiparae festis diebus adhibeantur. Quapropter
 in eam operam incubui, ut ex his quae in sacra Scriptura habentur,
 et SS^{mae} Virgini ab ecclesia accommodari solent, antiphonas et
 15 responsoria conficerem, quibus explere optabam quod in plerisque
 Virginis beatissimae officiis requirebam, gaudeoque quod paene om-
 nia quae collegi, sint Spiritus Sancti, non mea, licet paucula
 quaedam ex sanctissimis viris subiecerim, in quibus tamen concin-
 nandis totum, quod potuit, meum desudavit ingenium, quod quidem quam
 20 sit exiguum sentio; simulque video hoc meum opusculum impar omnino
 esse tantae Virgini Dei op. m. parenti dignissimae, ac totius ec-
 cleriae amplissimae matri. Quare tuum erit Cardinalis amplissime,
 quod minus apposite et concinne dictum sit, componere, exornare,
 excolere et perpolire, ut qui sapientia et eloquentia polleas plu-
 25 rimum. Atque hanc quidem epistolam anno superiori scripseram, quae
 tamen a Patribus Manilae degentibus missa non est, quod scirent
 additiones ad breviarium excusas iam esse, oportere que ut eas ip-
 se, qui tamen procul Manila aberam, prius viderem, quas tamen non
 vidi. Sed neque despundi animo, quin potius ausus sum nihilominus
 30 hoc ad te opusculum mittere, si forte maxima tua ista auctoritas

/ transigeret cum summo Ecclesiae praesule, ut hoc opus in laudem
 Sanctissimae Virginis, vel seorsim excuderetur, ut eo ecclesia in
 diebus Virgini sacris uteretur. Ridebis fortasse homunculi audaci-
 am, temeritatem, arrogantiam, importunamque imprudentiam, sed aman-
 5 ti mihi meae Deiparae nihil non licere vel audire visum fuit. Nam
 immorior quidem desiderio, cupiditati, studio, omnia ut officia
 SS^{mae} Virginis sint quam elegantissima et aptissima; itaque, quam-
 vis additiones ad breviarium editae sint, et aliquid circa officia
 Virginis additum, ut accepi ab his qui viderunt, sed his adhuc lo-
 10 cus esse potest, qui locus ut sit tu faxis, quod totum non ego, qui
 nihil sum, sed sanctissima ipsa virgo commendat tibi. Res est pro-
 fecto dignissima, in qua tuae sapientiae, industriaeque et diligen-
 tiae vires exeras. Potes o praesul ornatissime obsequium hoc pree-
 stare Deiparae, potes quidem; praesta igitur, siquidem potes, et
 15 gaudie quod possis. Quid enim felicius, quam aliquid in honorem
 SS^{mae} matris edere? hoc vero, quod ad eius officia attinet, magnum
 profecto est. Tu vero, qui eximia in lucem ad haereticorum tenebras
 dispellendas in lucem edidisti, si hoc opusculum propter SS^{mam} vir-
 ginem apostolica auctoritate edi curaveris, magnus quasi cumulus,
 20 sin minus tuis accedet laudibus, tuis certe in gloriosissimam ma-
 trem meritis accedit quidem. Sed satis iam sit, precor audaciae me-
 ae parcas. homo enim è Societate Iesu licet omnino indignus ausus
 sum scribere amplissimo viro, qui ex eadem Societate Iesu ad ecclae-
 siasticos honores assumptus est. Te Deus op.m. servet in columnen,
 25 augeatque ad maius totius ecclesiae bonum. Ex Philippinis insulis
 insula Leyte, idibus Aprilis anno à partu Virginis 1605.

Tuus humillimus et indignus servus

Franciscus de Lucinas

Adr.: Ill^{mo} ac R^{mo} D^{no} in Christo Colendiss^{mo} è Societ^e Iesu.
 30 D^{no} Roberto S.R.E.Card^{li}

Amplissimo Episcop Capuano etc.
 Romaë.